

XXXI. "Quæro igitur (ait Cnykius) quo jure hic annus invaluit? quo percipientium merito? quibus auctoribus? & quis probaverit? An Apostolica sedes? an Ordinariorum auctoritas? Neutrum horum dici potest. Sibi ipsis ergo hanc faciunt gratiam qui ab Ordinariorum se eximunt auctoritate, nec dirigi, nisi à se ipsis volunt. Quid mirum si impingant? Non igitur Pastores, non Episcopi, non Beneficiarii alii, sed *Canonici soli*, consensu mutuo hunc quem dixi *annum gratia* adinvenerunt. Quo verò Consilio? aut qua necessitate? Nempe quod usu veniret interdum, ut rerum suarum decoctores, quales sunt intemperati, ebriosi, Veneri ac ventri dediti, aleatores, ignavi ac torpidi Canonici, cum multo aere alieno ex hac vita discederent, nec superesset, unde confata debita possent dissolvi. Inde cepit ille annus gratia: ut è proventu præbendæ ejus qui mortuus esset, a alienum dissolveretur. Irritamentum hoc fuit multis ad contrahendum debita plura & graviora: & quidem tanta interdum, ut extinguendis illis nec *annum gratia* quidem possit sufficere. Quis non reputet injustum: ut qui ad Canonicatus accedunt, & chori ac templi onera subeunt, propter ejusmodi decoctores, debito frustrentur proventu? Et qui mortem obierunt, pro eo tempore, quo nullum Ecclesiæ præstant obsequium, fructu illius fruuntur.

XXXII. Deinde ostensa hujus *anni gratia* injustitia laudat Canonicos Ecclesiæ S. Petri Lovanii quod hunc annum gratia abolerint, optatque ut eorum exemplum alii sequantur. "Quamobrem laudandi Lovanienſes D. Petri Canonici, qui ante sex, septemve annos, etsi primi anni sui fructu propter annum gratia qui antecessoribus cesserat spoliati omnes fuissent; his persuasi rationibus, & propter Pontificiam prohibitionem illam quæ annum gratia ubique aboleri voluit, libera voluntate & profus heroica virtute, toto suffragante Capitulo, annum gratia ita penitus abrogaverunt, ut nulla jam apud illos ejus extet memoria. Imitati etiam sunt nostri Rurimundenses Canonici; & re penitus inspecta, hunc non gratia, sed meræ injustitiæ annum, pro se suisque posteris contemnendum quoque putaverunt. Optandum sanè ut ceteri omnes aliarum quarumlibet Ecclesiarum Canonici, ad eandem justitiæ normam redigantur; nec mortuos impoſterum sinant in labores viventium introire, nec rationem ullam habendam putent decoctorum illorum qui suam profundunt substantiam, nullum finem facturi constandi debita, nisi ex auctoritate ad disciplinam & parsimoniam revocentur, nisi tutoribus subiciantur, nisi subdantur correctioni: quæ una & sola ratio est, quæ illi, qui Christi decoquant patrimonium, in ordinem redigantur.

XXXIII. Consuetudo transmittens proventus Ecclesiasticos aliæque ex redditibus Ecclesiasticis aut ab Ecclesia profecta ad proximos de sanguine ipsius Beneficiarii, videtur eodem fundamento niti, & eodem titulo tolerari, quo nitiur & toleratur consuetudo testandi *valide* de eisdem proventibus & bonis, etiam in favorem consanguineorum divitum: nimirum propter *odia litium*; sive ne lites nimium multiplicarentur, dum bona patrimonialia aut aliunde quàm ab Ecclesia profecta, à bonis Ecclesiasticis essent discernenda.

XXXIV. Unde sicuti consuetudo sustinens validitatem testamenti quoad dispositionem horum Ecclesiasticorum, horum naturam seu conditionem non immutat: ita nec hæc quæ Clericorum intestatorum bona undecumque ob-

venientia defert ad proximos de sanguine.

XXXV. Itaque bona Ecclesiastica ad hæredes sive ex testamento, sive ab *intestato* devolvuntur sub eadem conditione & onere quibus fuerunt apud defunctum: neque per hanc translationem quidquam de natura horum bonorum immutatur; sed ipsi hæredes ea, ut bona Ecclesiastica dispensare debent; & credere, quod sicut defuncto Clerico non licuit de his luxuriari, & in profanos usus expendere; sic nec ipsis liceat: utpote qui bona illa cum eodem onere ex persona defuncti acceperunt.

XXXVI. Scribit Thomas Cantipratanus *lib. 2. cap. 55.* relatum de Venerabili Guilielmo Episcopo Parisiensi, quod cum nuntiaretur ei "quemdam Canonicum Ecclesiæ Parisiensiſ intestatum decessisse, & ipse de jure Canonico in tribus millibus marcharum succedere deberet eisdem, comploſis manibus respondit: Absit hoc à me: sed heu misero pecunia sua secum sit in perditionem: & hæc dicens, præcepit pecuniam in usus pauperum erogari." Addit dein Cantipratanus: *Bene & dignè dixit & fecit.*

Neque alia fuit mens Patrum Concilii Toletani anno 1566. qui *Act. 2. cap. 18.* decreverunt: "Bona quæcumque eorum Clericorum qui *intestati* moriantur, ad Episcopum vel consuetudine vel alio quocumque jure pertinentia ac devoluta, per eundem Episcopum in *pios* tantum usus, ejus arbitrio expendantur.

Synodus Colonienſis anno 1566. *parte 13. cap. 11.* ait: "Ubi Sacerdos nostræ Diocesis Colonienſis mortuus est, *intestatus*, bona ipsius præter patrimonialia, quæ hæredibus cedunt, deducto aere alieno & funeralibus, in *piam* causam pro defuncti animæ salute convertantur.

XXXVII. Joannes Molanus in suo tractatu de Piis Testamentis *cap. 41.* notans quod Alexander III. in citato *Cap. 12. De Testamentis*, velit, ut dum Clerici intestati decedunt, communis Congregatio rerum ab ipsis relictarum debeat *Canonicam distributionem & curam* habere; vel successor ea bona in *Dei timore dispensare*, concludit, "quod à decedentibus absque testamento, Ecclesiæ suo jure accedit, hoc non videri à Canonicis in *privatum* singulorum usum dividi posse; sed in *Dei timore* dispensandum esse, ut & animæ defuncti proficiat, & in *communem* totius Ecclesiæ utilitatem redundet.

Itaque (ait Molanus) si qui Canonici sordida quarant compendia, discant, quid sit *Canonica distributio*, ubi Alexander scribit, "communem congregationem rerum illarum debere *Canonicam distributionem & curam* habere. Si enim intelligant distributionem in capita Canonicorum, vehementer falluntur; si autem intelligant distributionem secundum Canones, rectè intelligunt.

Unde laudandum jam nominatum Capitulum Canonicorum secundæ foundationis, quod nihil in utilitatem Canonicorum vult applicari, sed juxta verisimilem mentem defuncti omnia dispensari. "Item statuimus & ordinamus, quod si contingat quem ex nostris Canonicis decedere, intestatum, de cujus voluntate non appareat, per quamcumque scripturam, etiam minus solemnem, quod in illum eventum Capitulum dabit duos executores, qui de ejus bonis derelictis pro funeralibus, ac debitis legiis, pro hæredibus, ac aliis ad *pios* usus applicandis habebunt, legaliter dispensare secundum *verisimilem* mentem, ac voluntatem taliter decedentis.

TITULUS XXXIII.

De Decimis & Oblationibus.

CAPUT I.

De Origine Decimarum, & quo jure debeantur?

1. Præceptum veteris legis de solvendis decimis per Christum renovatum non est.
2. Præceptum hoc ab Ecclesia, etiam in quantum judiciale, renovari potuit; & qua ratio renovandi.
3. In veteri lege hoc præceptum etiam erat partim morale.
4. Hodie partim ex jure naturali, partim ex jure humano decimæ debentur.
5. Incertum, quando præceptum de solvendis decimis populo Christiano datum fuerit: tribus primis seculis datum non est.
6. Cessante persecutione Imperatorum Ethnicorum fidelis populus de decimis solvendis moneri cepit.
7. Adhortatio S. Hieronymi ad solutionem decimarum.
8. Sanctus Chrysostomus earum solutionem multum urſit.
9. Eas commendavit S. Augustinus.
10. His Patrum exhortationibus multi ad decimas solvendas adducebantur.
11. Nullum tamen adhuc erat præceptum de decimis.
12. Sermo de decimis reddendis falso S. Augustino adscriptus.
13. Consuetudo decimas solvendi sensim invaluit; & unde?
14. Seculo 6. Episcopus coegisse laicos ad solvendas decimas constat ex Constitutione Justiniani Imp.
15. Occasione hujus legis invaluit consuetudo apud Græcos non solvendi decimas.
16. Alia apud Græcos tributa in subsidium Sacerdotum sunt.
17. Obligatio decimas solvendi in aliquibus Ecclesiis Latinis seculo 5. videtur fuisse.
18. Seculo 6. præceptum de solvendis decimis expressit Synodus Marſiconenſis.
19. Nullum antiquius de decimis solvendis præceptum creditur.
20. Capitularia Regum Francorum eam obligationem aperte edicunt.
21. Principes ad earum solutionem populum constringebant seculo 8.
22. Quam sollicitè decimarum solutionem urſerint Principes, patet ex lege Longobardorum.
23. Noluerunt tamen constringi populum mediante juramento.
24. Non facile permittenda in solutione vectigalium exactio juramenti.
25. Non ubique solutio decimarum equaliter recepta & stabilita.
26. Decreta de solvendis decimis generaliter concipiebantur seculo 10.
27. Pontifices aliquando generaliter Responsa exprimebant attentæ loci consuetudine.
28. Omisſa mentione consuetudinis eorum fragmenta in Decretales Gregorii IX. relata.
29. Responsum Alexandri III. de decimis etiam apud solvendas mutilatè in Decretales relatum.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

30. Ad responsa Pontificum ut in Decretales relata respexerunt posteriores Synodi & auctores.
31. Celestinus III. voluit etiam de militia decimas solvendas esse.
32. Indicat earum solutionem ex traditione SS. Patrum descendere.
33. Abusit ad sermonem falso tributum S. Augustino.
34. Ex hoc responſo Celeſtini receptum est, decimas etiam personales de jure debitas esse.
35. An antiquitas de his solvendis extet præceptum?
36. Alia decimarum species, qua occasione invaluerint?

I. **I**N Lege Mosaica, decimas ex fructibus & frugibus terræ debitas fuisse Levitis & Sacerdotibus Veteris Legis dubium non est: at præceptum illud tamquam judiciale & merè positivum, Lege Mosaica per mortem Christi quoad judicialia & ceremonialia mortua, etiam cessasse: neque per Christum, aut Apostolos Christianis datum præceptum esse, ut *decimam* partem fructuum Clero seu Sacerdotibus Novæ Legis solvere tenentur, hodie à Canonistis & Theologis fat communi consensu recipitur.

II. Hanc sententiam probat S. Thomas 2. 2. q. 87. ubi una imprimis monet, præceptum de solvendis decimis datum in Vetere Lege fuisse unum ex præceptis *judicialibus*, quæ quidem per Christum cessarunt; sed renovari potuerunt auctoritate eorum quorum est condere Legem.

Secundo docet, "quod determinatio decimæ partis solvendæ, sit auctoritate Ecclesiæ, tempore Novæ Legis instituta, secundum quamdam humanitatem: ut scilicet non minus populus Novæ Legis ministris Novi Testamenti exhiberet, quàm populus Veteris Legis ministris Veteris Testamenti exhibeat.

III. Tertio monet ibidem, præceptum de solvendis decimis etiam tempore veteris legis partem fuisse *moralè* inditum naturali ratione. Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dicitur.

IV. Ex his concludit: "Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum & personarum, posset etiam partem determinare solvendam.

Hæc Doctoris Angelici conclusio unanimi Theologorum & recentiorum Canonistarum calculo probatur, & ubique gentium usu recepta est, explosa quorundam antiquorum Canonistarum opinione, qui volebant, populum Christianum ad specificam ac determinatam decimarum solutionem, non minus quàm populum Judaicum, præcepto *divino*, nulla consuetudine abolendo, obligari.

V. At illud non æquè compertum, quandomam præceptum de solvendis decimis populo Christiano impostum sit. Id fat expeditum videtur, tribus primis Ecclesiæ seculis, adhuc fervente Imperatorum Ethnicorum persecutione in Christianos, decimas nondum solvi solitas; nec inter Ecclesiasticos proventus numeratas fuisse.

Uuu 3

San-

Sanctus Cyprianus libro De Unitate Ecclesie ait: *At nunc de patrimonio nec DECIMAS damus.* Et Epistola 66. ad Clerum & populum Furnitariorum, ostendere volens, Sacerdotes per secularia negotia ab Officio altaris non esse abstrahendos; atque propterea in veteri lege assignatas fuisse decimas de fructibus terrarum quæ aliis Tribubus erant assignatæ, subiungit: "Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur, sed in honore *sportulantium* fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus, & spiritu aliis serviant." Hæc palam supponunt, tempore Cypriani, *sportulas* vicem decimarum substituisse. Unde & ad illa verba Cypriani reflectens vir eruditus Nicolaus Rigaltius hanc statuit conclusionem: "Itaque ab Apostolis ad usque Cypriani tempora nulla fuit, inter Christiana subsidia, mentio decimarum. Usitata aliquamdiu sportulæ."

VI. Cessante persecutione, id est sæculo 4. & sequenti, plura de solvendis decimis, ad exemplum populi Judaici, passim in concionibus & exhortationibus Patrum ad populum occurrunt; atque ex illis evidens est, Patres eo tempore crebris exhortationibus populum Christianum ad decimarum solutionem excitasse.

VII. Audiamus S. Hieronymum: "Quod de decimis primitivæque diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligitur; quibus præceptum est, non solum decimas dare & primitias, sed & vendere omnia quæ habent & dare pauperibus, & sequi Dominum Salvatorem, Quod si facere nolumus, saltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum deferamus," *In cap. 3. Malach.*

VIII. Decimas quoque laudabat, & ad eas offerendas excitabat populum suum S. Joannes Chrysostomus *Hom. 5.* in Epistolam ad Ephesios, asseverans, Christianos longè arctius quàm Judæos ad eleemosynas obligari, adjungens: "Nam quid Judæi non faciebant? Decimas & rursum decimas præbebant orphanis, viduis, prolelytis. Sed mihi quidam de quopiam dicebat: Hic aut ille dat decimas. Quanto est hoc plenum probro & dedecore, si quod apud Judæos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile? Si tunc erat periculum decimas non relinquere, cogita quantum nunc sit."

IX. Et sub idem tempus S. Augustinus idem urget in Enarratione in *Psalmum 146.* dicens: "Decimas vis? decimas exime, quamquam parum sit. Dicitur enim, quia Pharisæi decimas dabant, jejuno bis in sabbatho, decimas de omnibus quæ possideo. Et quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum celorum."

X. Quin his justis & fortissimis Patrum exhortationibus plures moverentur ad fructuum suorum decimas Ecclesiæ offerendas, ambigi æquit: atque unus illorum indubiè erat rusticus ille, qui apud Cassianum *Collatione 14.* ad Abbatem Joannem dixisse fertur, *se nunquam de fructibus suis aliquid usurpasse, nisi prius Deo primitias eorum ac DECIMAS obtulisset.*

XI. Illud tamen ex ipso modo exhortandi fiat constat, Patres quidem exhortari voluisse fideles, ut ad exemplum Pharisæi & populi Judaici de omnibus bonis sibi à Domino concessis, decimas Deo offerrent; sed meras fuisse exhortationes, nullum Ecclesiasticum præceptum supponentes; ipsamque solutionem decimarum eo tempore voluntariam fuisse, ut aliarum eleemosynarum oblationem, non obscuro est.

Unde Christianus Lupus tomo 4. Scholiorum in Canones pag. 195. relatis supra citatis verbis S. Chrysostomi ait: "Ex quo vides decimas tunc fuisse dumtaxat voluntarias."

Eas quippe non uniusquisque, sed hic dumtaxat, aut ille dabat, erantque opus admiratione dignum.

XII. Extat quidem sermo S. Augustini *De reddendis Decimis*, qui non tantum exhortationem ad offerendas decimas continet, sed & rigidum præceptum non obscure supponit *num. 3.* "Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invasit. Et quanti peres in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante facta, memortui fuerint tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit; quia rem à Domino pauperibus delegatam suis usibus referavit."

Verum hunc sermonem tamquam Augustino suppositum in appendicem rejecerunt eruditi Parisienses operum Augustini Revisores, eique hanc notam præposuerunt: "In appendice nunc primum collocatur. Lovanienses dum reliquerant, rejecit post Verlinum Vindingus ob id maxime quod decimas de quibus reddendis hic agitur, intelligere liceat ex *Sermone 3.* in *Psalm. 103. num. 9.* & ex enarratione *Psalm. 146. num. 16.* & 17. nondum fuisse Augustini ætate Clericis & Sacerdotibus datas aut assignatas."

XIII. Fatendum nihilominus est, crebris hisce Patrum & Pastorum suorum exhortationibus, Fideles ad decimarum oblationem multum permotos fuisse; atque in pluribus locis sensum populum decimarum oblationi & solutioni se voluntarie submisisse: quo factum, ut tandem consuetudine invalenscente, quæ voluntarie prius fuerant, tandem in necessarias transiverint: ipsique Episcopi refractarios ad solutionem adigere cœperint.

XIV. Et quidem sæculo 6. in Ecclesia Orientali Episcopus coegisse laicos ad decimarum solutionem etiam sub pœna excommunicationis clarum est ex *L. 39 §. 1. Cod. De Episcopis & Clericis* ubi dicitur: "Non oportet, Episcopos, aut Clericos cogere quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare: quamvis usus ita obtinuerit."

XV. Quamvis non constet, hac lege vetitam fuisse decimarum petitionem, nihilominus hoc scitur, à multis secularibus, forsitan occasione hujus legis, decimarum pensionem apud Orientales esse ignotam; nec obscurum est, ad eam Orientalium morem respicere Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *cap. 32.* *De Decimis*; & rectè notavit Emmanuel Gonzales in commentario ad hanc Decretalem: ejusque moris meminisse Decretalis Honorii III. cujus fragmentum extat in *cap. 11.* *De Transact.* in qua dicitur. *Licet Episcopi Græcorum nec percipere DECIMAS consueverint.*

XVI. Verùm illud notandum, apud, Græcos certa fuisse constituta tributa pro Sacerdotum alimentis, ut constat ex *Novella 3. & 43.* Justiniani Imp. taxatæque hujus tributi summa in Bulla aurea Isaaci Comneni, è qua taxatione apparet, hoc tributum vices decimarum facile supplere posse.

XVII. In quibusdam Ecclesiis Latinis, decimarum solutionem tamquam necessariam & præceptam, fuisse propositam etiam sæculo quinto, vel citatus sermo sub nomine Augustini evincit. Nam eruditi, qui eum Augustino abjudicant, Casario Arelateni, qui sub finem sæculi 5. floruit, tribuendum putant.

XVIII. Hanc obligationem clariùs & certius sæculo 6. expressit Synodus Maficonensis II. *Can. 5.* supponitque, jam multo tempore, populum decimas obtulisse: "Nunc autem (ait) paulatim prævaricatores legum penè Christiani omnes ostenduntur, dum ea quæ divinitus sancita sunt, id implere negligunt."

Deinde subjicit: "Unde statuimus ac decernimus, ut mos antiquus à fidelibus reparetur; & decimas Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat; quas Sacerdotes in usum pauperum, aut in capitulum re-

dem-

demptionem prærogantes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax noluerit, statim saluberrimis fuerit, à membris Ecclesiæ omni tempore separetur."

XIX. Hic evidens est præceptum de decimis solvendis; creduntque non pauci, hanc esse antiquissimam, quæ extet positiva lex Ecclesiastica de decimis solvendis: ante hoc Decretum solutionem decimarum vel voluntariam fuisse, vel solâ consuetudine vel fidelium usu stabilitam.

Quidquid sit, hoc indubitatum est, post hoc Decretum plurimos præsertim in Ecclesia Latina, editos fuisse Canones eandem decimarum solutionem urgentes & præcipientes.

XX. In Capitulari Caroli M. anno 801. *cap. 6.* decernitur: "Ut uniusquisque Sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant, qualiter decimas totius Facultatis Ecclesiæ divinis debite offerant."

Admodum notandum est quod *cap. 7.* ibidem adjungitur: "Ut ipsi Sacerdotes populi suscipiant decimas, & nomina eorum quicumque dederint scripta habeant & secundum auctoritatem Canonicam coram testibus divinis, dant, & ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem; secundam autem ad usum pauperum, vel peregrinorum per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensent: tertiam verò sibi partem ipsi soli Sacerdotes referent."

Hinc non absimile est, quod anno 813. decretum est in Concilio Turonensi *Can. 16.* "Ut decimæ quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à Presbyteris ad usum Ecclesiæ & pauperum summâ diligentia dispensentur."

XXI. Imò quod amplius est, ab eo tempore non tantum Episcopi; sed & Imperatores & Principes populum ad solvendas decimas constrinxerunt. *Lib. 2. Capitularium Regum Francorum cap. 39.* editionis Baluziana legitur: "Qui decimas post creberrimas admonitiones & prædicationes Sacerdotum solvere neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos construngi nolimus propter perjurii periculum. Idem reperitur in Concilio, Cabilonensi II. *Can. 19.*

Sed & per auctoritatem Regiam refractarios cogi volebant. "De Decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec Episcopus nec Comitem audire voluerit, si nos homo fuerit, ad presentiam nostram venire compellatur. Ceteri verò distinguantur ut in viti Ecclesiæ restituant quod voluntarie dare neglexerunt."

XXII. Ita an. 829. Ludovicus Pius in Capitulari Wormatiensi *tit. 1. cap. 6.* & reperitur *lib. 5. Capitularium Regum Francorum c. 101.* & illius fragmentum retulit Gratianus *Caus. 16. q. 7. Can. 7.* ac integrum insertum est legibus Longobardorum *lib. 3. tit. 3. cap. 8.* ubi *cap. 6.* refertur hæc notabilis lex Imperatoris Lotharii, è qua patebit, quam sollicitè & ferè voluerint à subditis decimas exsolvi: "De decimis, ut dentur, & dare nolentibus, secundum quod anno præterito denuntiatum est, à ministris Reipub. exigantur, & eligantur quatuor vel octo homines optimi, prout, si opus fuerit, de singulis plebibus juxta qualitatem uniuscujusque plebis, ut ipsi inter Sacerdotes & plebem testes existant, ubi date vel non date fuerint. Hoc autem ideo tantos testes esse diximus, ne ibi juramentum aliquod faciendum necessitas contingat. Non tamen omnino tantos testes mittendos esse dicimus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis presentes esse pariter necesse sit; sed dum pluribus committitur, minus graventur, duos autem testes, si ad fuerint, sufficere credimus, negligentes autem à Presbyteris Ecclesiam ammonentur, usque ad tertiam vicem, ut ipsi decimam dent. Quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur, & si hoc minime emendaverint, à ministris Reipub. districti, singuli per caput VI. solidi, Ecclesia componant, & insuper dare decimam cogantur."

Nam si iterum contemptores existant, & per publicam auctoritatem domus vel casa eorum gissentur, quousque pro ipsa decima, sicut supra dictum est, satisfaciant."

XXIII. Hic merito notatur, quod & Carolus M. in citato Capitulari, & ipse Lotharius tam sollicitè caverint, ne ad solutionem decimarum populus juramento constringeretur; idque, ut expressit Carolus, *propter periculum perjurii*; quæ revera cautio notanda à Principibus & Magistratibus, ne facile subditos suos juramentis involvant, ob evidens periculum, in perjurii crimina prolabendi.

XXIV. Hoc fundamento dum nuper Theologis & Jurisperitis Lovaniensibus propositus esset hic casus: Ad plenum colligendum tributum seu gabellam farinæ impositam in quadam regione, imponitur incolis, ut nisi convenient cum collectoribus dicti tributi, jurare debeant, quantum consumant farinæ in sua familia pro mense vel anno &c. & non plus, quantumque esset: An tale juramentum rectè incolis imponatur salva conscientia & bono publico? Respondit ab octo Doctoribus Theologis, & quatuor Doctoribus Juris, hoc juramentum non esse incolis imponendum, ob periculum perjurii; adducto etiam loco S. Basilii ex *Epist. 305.* ubi ipse similis juramenti exactionem multis improbat.

XXV. Interim ex ipsis Conciliorum Canonibus; nec non Principum Sanctionibus, quæ circa idem tempus editæ leguntur, haud obscure est, non ubique populum se huic decimarum debito submisisse; neque ubique æqualiter jus hoc receptum & stabilitum fuisse. Unde in Capitulari Ludovici Pii sub idem tempus legitur: "De nutrimento pro decima, sicut hæcenus consuetudo fuit ab omnibus observata, ventr." *Lib. 2. Capitular. cap. 21.*

XXVI. Decreta nihilominus Conciliorum & Episcoporum passim generaliter exprimebantur; atque de omnibus solvendis esse decimas urgebant; idque etiam comminatis in refractarios censuris Ecclesiasticis; uti & Pontifices in suis Decretalibus, præsertim Alexander III. ejusque successores.

XXVII. Et quidem cum significatum esset Alexandro III. quod cum in Provincia Cantuariensi Parochiani decimas bonorum suorum consuevisset Ecclesiis, quibus debentur cum integritate solvere nunc tam laudabili consuetudine prætermittit, quidam ex iis de lana & de feno, & proventibus molendinorum & piscinarum ipsis Ecclesiis subtrahere non verentur. Respondet: "Quoniam igitur institutione divinæ manifestius obviat, qui decimas ipsas Ecclesiis non persolvunt, Fraternitati vestræ per Apostolicam scriptam mandamus, quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit, sed excommunicationis distractione compellere, ut de proventibus molendinorum, piscinarum feno, & lana, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant."

Integra Decretalis refertur in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum titulo *De Decimis c. 2.* & in appendice ad Concilium Lateranense sub eodem Alexandro III. *parte 4. cap. 2.* ex qua integra Decretalis intelligitur, quod Pontifex in suo responso multum attendit consuetudinem, quæ ibidem circa decimarum solutionem inoleverat; & quam nonnulli invertere volebant.

XXVIII. Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator solum fragmentum continens *mandatum* Pontificis, nulla consuetudinis facta mentione, retulit in *Cap. 5. De Decimis.* Canonice verò qui integras Decretales non consulebant; sed tantum fragmenta à Raymundo relata, non dubitavit concludere, decimas de